

TIT. III.

DE EXHIBENDIS, ET TRANSMITTENDIS REIS.

1. Imp. VALENTIN. et VALENS AA. Valentino consulari Piceni.

Si miles in provincia repertus crimen publicum commiserit, eum rector provincie sub custodia constituat: atque ita, vel causa meritis, vel (etiam) persona qualitate ad magistrum militum referat. — Dat. 12 kal. februar. Mediolani, VALENTINIANO et VALENTE AA. CONSS. 363.

2. Imppp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. Eutropio P. P.

Nullus in carcerem priusquam convincatur, omnino vincatur. Ex longinquo si quis est accendus, non prius insimulanti, [id est, accusatori,] accommodetur adsensus, quam solenni lege se vixerit, [et in poenam reciproci stylo trepidante recoverit.] Et vero qui reducendus erit, ad disponendas res suas, componendosque certos penates, spatium coram loci iudice, aut etiam magistratibus sufficientium dierum non minus tamen triginta tribuatur, nulla remanente apud eum, qui ad exhibendum missus est, copia nundinandi. Qui posteaquam ad iudicem venerit, adhibita advocazione, jus debet explorare quaesitum: ac tandem pari cum accusatore fortuna retineri, donec reperit cognitio celebrata discrimen. — Dat. 3 kal. Januar. Constantinop., GRATIANO A. 5 et THEODOSIO AA. CONSS.

3. Imppp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Drepanio proconsuli Africae.

Neminem [in] iudicio exhibendum esse praecipimus, nisi de cuius exhibitione iudex pronunciat. — Dat. P. P. non. februar. Mediolani, VALENTINIANO A. 5 et NEOTHERIO CONSS. 390.

TIT. IV.

DE CUSTODIA REORUM.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Florentium rationalem.

In quacunque causa reo exhibitio, sive accusator existat, sive eum publicae sollicitudinis cura produxerit, statim debet quaestio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum praesentia necessaria videatur: id quidem debet quam celerrime procurari. Interea vero reum exhibitum non [per] ferreas manicas, et inhaerentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas [si criminis qualitas etiam catenarum acerbiter postulaverit,] ut et cruciatio desit, et permaneat [sub] fida custodia. Nec vero sedis intima tenebras pati debet inclusus, sed usurpata luce vegetari, [ac sublevari:] et ubi nox geminaverit custodiam [in] vestibulis carcerum, et salubribus locis recipi: ac revertente iterum die ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne poenis carceris perimatur: quod etiam dominus miserum, noxius non satis severum esse dignoscitur. Illud etiam observabitur, ut neque his qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere: et innocentes intra carcerum septa letho dare, aut subtractos audientia longa tabe consumere. Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus iudici imminet, si aliquem ultra debitum tempus inedia, aut quocunque modo aliquis stratorum exhausterit, et non statim eum penes quem officium custodiae est, atque ejus ministris capitali poena subjecerit. — Dat. prid. kal. Jul. Serdicae, CONSTANTINO A. 6 et CONSTANTIO CC. CONSS. 353.

2. Idem, A. et C. ad Evagrium P. P.

Si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quo dignus claustris carceris, et custodiae squalore videatur, auditus apud acta, cum de admisso constiterit, poenam carceris sustineat: atque ita postmodum deductus apud acta audiat. Ita enim quasi sub publico testimonio commemoratio admisi criminis fiet, ut iudicibus innotentibus freni quaedam temperies adhibita videatur. — Dat. 3 non. febr. Heraclia, CONSTANTINO A. 7 et CONSTANTIO CC. 2 CONSS. 354.

3. Idem, A. Acindino P. P.

Quoniam unum carceris conclave permixtos secum criminosos inclu-

Trt. III. — 1. Lib. 48, D. 5. — 2. Adde L. 6, supr. de juridict. omn. jud. — 3. I. 5, D. h. t. — 4. Immo vide L. 1, infr. tit. prox. — 5. L. 9, infr. de calumn. — 6. L. 5, supr. qui accusari. — 7. L. ult. supr. tit. prox. — 8. L. ult. supr. tit. prox.
Trt. IV. — 1. Lib. 28, D. 5. — 2. L. 8, D. h. t. — 3. Adde L. 9, supr. de episc. aud. — 4. L. 1, supr. tit. prox. — 5. Adde L. 1, supr. divort. fact. — 6. L. 2, D. h. t. — 7. L. 15, D. cod.

dit, hac lege sancimus, ut etiamsi poena qualitas permixtione jungenda est, sexu tamen dispares, diversa claustrorum habere tutamina jubeantur. — Dat. non. april. Acindino et PROCOLO CONSS. 540.

In AUTHENT. ut nul. iudic., § Necessarium, col. 9, tit. 17, al. 9, Novell. 154, cap. 9.

Hodie novo jure nullam mulierem pro pecunia fiscali, seu privata causa, aut pro crimine quolibet modo in carcerem mitti, aut includi, aut custodiri concedimus. Sed si pro fiscali aut privato debito pulsatur, per virum suum, aut quem alium legitime respondeat. Quod si noluerit vel respondere, vel persequi litem suam, legitime in rebus suis executio procedat. Si vero tale sit crimen, ut necesse sit eam custodiri: si quidem fidejussorem dare potest, juratoriam cautionem praestet de iudicis observatione. Sed si crimen gravissimum sit de quo accusatur, in monasterium vel asceterium mittatur, vel mulieribus tradatur, per quas custodiatur. Iudices autem qui haec non servaverint, si majores sint, viginti librarum auri poenam: si minores, decem solvant. Obedientes autem eis in praedictis casibus, spoliati cingulo dentur in exilium.

4. Imppp. VALENT., VALENS et GRAT. AAA. ad Probum P. P.

Ad commentariensem receptarum personarum custodia observatioque pertinet: nec putet hominem abjectum atque vilem objiciendum esse iudici, si reus modo aliquo fuerit elapsus. Nam ipsum volumus hujusmodi poena consumi, cui obnoxius docebatur fuisse qui fugerit. Si vero commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit: adiutorem ejus pari jubeamus invigilare cura, et eadem statuimus legis severitate stringi. — Dat. 3 kal. Jul. Continatii, GRATIANO A. 5 et PROBO CONSS. 374.

5. Imppp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. Eutropio P. P.

De his, quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancimus, ut aut convictos velox poena subducatur, aut liberandos custodia diuturna non maceret. Jubemus autem ut intra tricesimum diem semper commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, claustrorum ordines, aetatemque vincitorum. [Quod si haec praetermiserit,] officium [quidem] viginti libras auri aetario nostro jubemus inferre: iudicem vero desidem ac resupina cervice tantum titulum gerentem, extorem impetrata fortuna, decem auri libras multandum esse censemus. — Dat. 3 kal. Januar. Constantinop., GRATIANO 5 et THEODOSIO 4 AA. CONSS. 380.

6. Latine Antonii Contii.

Neminem oportet injici custodiae absque jussione magnorum magistratum, aut locorum defensorum. — § 1. Oportet autem episcopum 8 per quartam feriam, aut pascheu inquirere eos, qui sunt in custodia, quam ob causam inclasi sint, et siquidem servi sint, intra viginti dies emittere eos, vel castigatos, atque etiam dominis redditos, aut si non appareant eorum domini, solvere ipsos. Si vero liberi sint pro seditione detenti, confestim 9 iudicare ipsos, vel si pro alia quacunque causa, siquidem non habeant fidejussores, et pro criminibus delinunt, excepto crimine homicidii, statim eos iudicari, si vero capitale crimen sit, intra triginta dies. — § 2. Si vero majore postea dilatione necessaria existente, is, qui detinetur, non praebet causam, committatur suae juratoriae cautioni, si absens fuerit. Si vero caedis est causa, si quidem ex delatione publicarum 10 personarum, intra sex menses iudicetur. Scientibus publicis personis, quod si mentite fuerint, se iisdem subdendos poenis. Si vero accusator, qui se inscripsit, auctor fuit ejus detentionis, detur reus sub fidejussione: vel si non reperiat fidejussores, maneat quidem in carcere: causa autem intra annum 11 terminetur. — § 3. Facta autem praesumptione, tanquam reus sit, in custodia maneat, donec causa terminetur. Si vero iam sententia lata est de inclusis, et ea executioni mandetur, sive corporalis sit, sive pecuniaria. — § 4. In pecuniaria condemnatione potestatem habentibus cedere bonis 12. — § 5. Episcopis momentibus praesides, scituros se, et officium suum illaturos decem libras. — § 6. Habentibus etiam episcopis potestatem deferendi principi, negligentiam [hisce in rebus] praesidium.

adde L. 1, supr. de serv. fugit.; N. 55, c. 4; L. 15, supr. de probat.; L. 7, § 2, D. de sua prec.; L. 28, in fin. D. de bon. libert.; 8. L. 22, § 1, supr. de episc. aud.; 9. L. 6, § 9, D. de injusto; 10. L. 7, L. 14, supr. de accusat.; 11. L. ult. infr. ut intra cert. temp.; 12. Supr. qui bona cedere.

TIT. V.

DE PRIVATIS CARCERIBUS INHIBENDIS.

1. Imp. ZENO A. Basilio P. P.

Jubemus, nemini penitus licere per Alexandrinam splendissimam civitatem, vel Aegyptiacam diocesim, aut in quibuslibet imperii nostri provinciis, vel in agris suis, aut ubicunque domi privati carceris exercere custodiam, viro spectabili pro tempore praefecto Augustali, et viris clarissimis omnium provinciarum rectoribus daturis operam semperque futuris in speculis, ut saepe dicta nefandissimorum hominum arrogantia modis omnibus opprimatur. Nam post hanc saluberrimam constitutionem, et vir spectabilis pro tempore praefectus Augustalis, et quicumque provinciae moderator, majestatis crimen proculdubio incursum est, qui cognito hujusmodi scelere, lesam non vindicaverit majestatem. Primatibus insuper officiorum ejusdem criminis laqueis constringendis: qui simul atque noverit memoratum interdictum facinus in quocunque loco committi, proprios iudices de opprimendo nefandissimo scelere non protinus curaverit instruendos. Nam illud perspicuum est, eos, qui hoc criminis genus commiserint, etiam pro veterum legum, et constitutionum tenore, tanquam ipsius majestatis violatores ultimo subjungendos esse supplicio. — Dat. kal. Jul. Constantinop., LOSCINO V. C. CONSS. 486.

2. Constitutio jubet privatas custodias non fieri, et eos, qui fecerint, poena subici, et tot dies manere in publico carcere, quot fuerit quis in privato ab eis inclusus, cujuscuque sint conditionis, vel dignitatis: amittere etiam eos causam, quam habent, adversus inclusos, providentia episcopi et praesidis: quod si neglexerit praeses, et bonorum, et salutis periculum sustinebit.

TIT. VI.

SI REUS, VEL ACCUSATOR MORTUUS FUERIT.

1. Epitome ex lib. 60 Basil., tit. 86, cap. 1.

Si miles λεπτοτακτὴς, (id est, desertor militiae) decesserit, solvitur 4 crimen.

2. Imp. ANTONINUS A.

Etsi Marcellus, qui crimine falsi postulabatur, vita functus est, ac per hoc crimen in persona ejus sit extinctum, accusatio tamen non est abolita: cum tam uxorem ejus, quam te eodem crimine postulatos esse proponas. — P. P. 7 kal. octobr. LETO 2 et CEREALE CONSS. 216.

3. Idem, A. PROCOLO.

Si is, quem homicidii, sui cujusvis criminis postulasti reum, vita functus est, frustra ob poenam deserti 5 accusationis conveniri: cum morte ejus crimen cum poena sit extinctum, ac per hoc tibi adempta est necessitas accusationis. — P. P. 4 kal. octobr. Romae, SABINO et ANULINO CONSS.

4. Imp. ALEXAND. A. Veronitiano.

Si (ut proponis) causa pecuniaria ad emolumentum tuum spectat, licet Anianus cui falsi 6 crimen auctor tuus intendebat, vita functus sit: non prohiberis, si quis adversus te instrumentum quod in dubium vocatur, uti ceperit, accusationem instituere. Quamvis enim in persona principalis rei morte subducti jam subsistere non possit; tamen si quis illo uti voluerit, intelligit se periculo criminis esse subjectum. — P. P. 6 kal. Jan. ALBINO et EMILIANO CONSS. 228.

5. Imp. GORDIANUS A. Rufino.

Defunctis reis publicorum criminum, sive ipsi per se ea commiserunt, sive aliis mandaverunt, pendente accusatione, praeterquam si sibi mortem consciverint, bona successoribus eorum non denegari notissimi juris est. — P. P. 7 kal. novemb. PIO et PONTIANO CONSS. 259.

6. Idem, A. JULIANO.

Si quis cum capitali 7 poena, vel deportatione damnatus esset, appellatione 8 interposita, et in suspensio constituta, fatis diem functus est, cri-

Trt. V. — 1. L. 25, supr. de episc. aud.; L. 59, § 1, D. ad leg. Aquil.; excip. L. 25, D. ad leg. Jul. de adult.; L. 224, D. de verb. sign.; 2. d. L. 25, supr. de episc. aud.; Trt. VI. — 1. L. 3, L. 2, L. 5, L. 4, L. 5, L. 6, infr. h. t.; 1. 5, L. 6, D. de publ. judic.; L. 15, § 5, 4, D. ad SC. Turp.; 2. L. ult. vers. idem observatur, infr. h. t.; L. 13, D. de publ. judic.; 3. L. 20, D. de accus.; L. ult. D. preculatoris; L. 9, in fin. D. de iure fisci; L. 4, § 4, 3, D. ad SC. Turpill.; 4. L. 4, supr. de apostat.; 5. Immo vide L. 4, infr. de re milit.; 5. L. 15, § 3, D. ad SC. Turpill.; 6. L. 2, supr. h. t.; 7. Adde L. 2, supr. qui testam. facere.; 8. L. 5, supr. si pendente appell. — 9. L. 5, in fin. D. de accus.; L. 16, D. ad SC. Turpill.; adde L. 10, supr. de inofficioso.

TIT. VII.

men morte finitum est. Idem observatur, et si accusator pendente appellationis tempore ultimum diem obiisset. Sin autem relegationis poenam sustinuit, et in parte bonorum damnatus appellatione usus est, etiam post mortem ejus nihilominus appellationis ratio examinabitur: cum desideretur, utrum valeat necne particularis publicatio. — P. P. 6 kal. Aug. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

TIT. VII.

SI QUIS IMPERATORI MALEDIXERIT.

1. Imppp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA. Rufino P. P.

Si quis modestiae nescius, et pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina nostra crediderit laceranda, ac temulentia 2 turbulentus obtricator temporum [nostrorum] fuerit; eum poena nolimus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum [volumus] sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania 3, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum 4. Unde, integris omnibus, hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, et utrum praetermitti, an exquiri debeant, censeamus. — Dat. 6 id. Aug. Constantinop., THEODOSIO A. 3 et ABUNDANTIO CONSS. 395.

TIT. VIII.

AD LEGEM JULIAM MAJESTATIS.

1. Imp. ALEXAND. A. Paulino.

Etiam ex aliis causis majestatis crimina cessant meo saeculo: nedum etiam admittam te paratum accusare iudicem propterea 2 crimine majestatis, quod contra constitutionem meam [eum] dicit pronuntiasse. — P. P. 3 id. april. MAXIMO 2 et JULIANO CONSS. 224.

2. Idem, A. Faustianiano.

Alienam sectae meae sollicitudinem concepisti, quasi crimen majestatis sustineres, si servo tuo iratus 3 [esse] non perseveres, quod semper te facturum inconsulte juraveras 4. — P. P. 3 non. febr. JULIANO 2 et CRISPINO CONSS. 225.

3. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum P. U.

Si quis alicui majestatis crimen intenderit, cum in hujusmodi re convictus, minime quisquam privilegio 5 dignitatis alicujus a strictiore inquisitione defendatur: sciat se quoque tormentis esse subdendum, si aliis manifestis indicibus accusationem suam non poterit comprobare, cum eo, qui hujusmodi esse temeritatis [reus] deprehenditur. Illam quoque tormentis subdi oportet, cujus consilio, atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, ut ab omnibus commissi conscis instituta vindicta possit reportari. — P. P. kal. Januar. VOLUSIANO et ANNIANO CONSS. 314.

4. Imppp. VALENT., VALENS et GRATIANUS AAA. ad Olybrium P. U.

Nullus 6 omnino, cui inconsultis, ac nescientibus nobis fiducularum tormenta inferuntur, militiae vel generis, aut dignitatis defensione uti prohibeatur: excepta tantum majestatis causa, in qua sola omnibus aequa conditio est. — Datum 8 id. Jul. VALENTINIANO N. P. et VICTORE CONSS. 369.

5. Impp. ARCADIVS et HONOR. AA. Eutychemo P. P.

Quisquis cum militibus, vel privatibus, vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis, et consistorio nostro intersunt; senatorum etiam (nam et ipsi pars 7 corporis nostri sunt), vel cujuslibet postremo, qui nobis militat, cogitaverit: (eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voverunt) ipse quidem, utpote majestatis reus, gladio 8 feriat, bonis ejus omnibus 9 fisco nostro addictis. — § 1. Filii 10 vero ejus, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent 11 perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla metuantur) a materna, vel avita, omnium 12 etiam proximorum hereditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint per-

Trt. VII. — 1. L. 7, § 5, D. ad leg. Jul. majest. — 2. Adde L. 12, in fin. pr. D. de custod.; L. 11, § 2, D. de poenis; L. 6, § 7, D. de re militari.; 3. L. 13, D. de offic. praesid.; 4. Fac. L. 2, supr. de reb. ered.
Trt. VIII. — 1. Lib. 48, D. 4. — 2. L. ult. infr. ad leg. Jul. repetund.; L. 1, § 3, D. de lege Corn. de falsis.; 3. L. 48, D. de reg. jur.; 4. Fac. L. 1, supr. de reb. ered. — 5. L. 4, in fin. infr. h. t.; L. 16, infr.; L. 16, § 1, D. de questionib.; 6. d. L. 16. — 7. Adde L. 8, infr. de dignitat. — 8. L. 5, D. h. t.; § 5, Inst. de publ. judic.; 9. Adde L. ult. infr. h. t.; L. ult. infr. de bon. proscript. — 10. Adde § 5, infr. h. t. — 11. L. 25, D. de poenis. — 12. Immo vide L. 9, D. h. t.

petuo egentis, et pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus, sit et mors solatium, et vita supplicium. — § 2. Denique jubemus etiam eos notabiles esse sine venia, supplicium. — § 3. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, sive testata, sive intestata decesserit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filiarum alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen heredis. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. — § 4. Emancipationes [quoque] quae a predictis sive in filios, post legem duntaxat latam, sive in filias fuerint collatae, non valeant. Dotes, donationes, quarumlibet postremo rerum alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel jure factas esse constiterit, quo primum memorati de ineunda factione ac societate cogitaverint, nullius statum esse momenti. — § 5. Uxores sane predictorum recuperata dote, si in ea conditione fuerint, ut quae a viris titulo donationis acceperunt, filii debeant reservare: tempore, quo usufructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quae juxta legem filii deputata [videatur]. — § 6. Id, quod de predictis eorum [quae] filiis cavimus, etiam de satellitibus conscitis, ac ministris filisque eorum simili severitate censemus. — § 7. Sane si quis in exordio inite factionis, studio vere laudis accensus, initam prodidit factionem, et premio et honore a nobis donabitur. Is vero qui usus fuerit factione, si vel sero [incognita tamen adhuc] consiliorum arcana patefecerit: absolutione tantum, ac venia dignus habebitur. — Dat. prid. non. sept. Ancyrae, CESARIO ET ATTICO CONSS. 397.

6. * Ex lib. 6 Basilic., tit. 56.

Majestatis rei etiam post mortem tenentur, et confiscatorum eorum substantia: et post mortem hoc crimen moveri incipit, et memoria defuncti damnatur, et res ejus heredibus auferuntur: nam ex eo tempore, quo hanc cogitationem subiit, propter cogitationem dignus est poena. — § 1. Qui vero incidit in hoc crimen, neque vendere potest, neque manumittere, neque ullo modo alienare, nec recte ei solvit debitor. — § 2. Sed et servi in eum torquentur. — § 3. Et mortuo eo res ejus servantur, quia existente herede agi oportet.

7. PAULUS libro singulari de publicis judiciis.

Meminisse oportebit, si quid contra majestatem imperatoris commissum dicatur, etiam post rei mortem in crimen instaurari solere postea quam D. Marcus Druncianus, utpote senatoris, qui Cassiani furoris socius fuerat, bona post mortem fisco vindicari jussit: et nostro tempore multis heredibus ablata sunt. — § 1. In hoc item crimine, quod ad laesam majestatem imperatoris pertinet etiam in caput domini servi torquentur.

8. MARCIANUS lib. 1 de publicis judic., ad legem Juliam Majestatis.

Post D. Marci constitutionem hoc jure uti coepimus, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit: ut convicto mortuo memoria ejus damnatur, et ejus bona successoribus ejus eripiantur: nam ex quo sceleratissimum quis concilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Sic et divi Severus et Antoninus constituerunt, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere eum posse: nec ei solvere jure debitorem, magnus [etiam] Antoninus rescripsit. — § 1. In hac causa in caput domini servi torquentur, id est, propter causam majestatis. — § 2. Et si decesserit quis: propter incertam personam successoris, bona observantur, si in causa majestatis fuisse mortuus arguatur: ut Severus et Antoninus literis ad Rationales missis rescripserunt. — Dat. 5 non. Mart.

TIT. IX.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS, ET STUPRO

1. Imp. SEVERUS ET ANTONINUS AA. Cassiae.

Publico iudicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamvis le matrimonio suo violato queri velint, lex Julia declarat: quae cum mas-

13. L. 6, in pr. D. ad leg. Jul. pecul. — 14. L. 6, § 1: L. ult. in fin. pr. infr. h. t. — 15. L. 31, in fin. D. de donationib. — 16. Excep. L. ult. supr. de accus. — 17. L. 7, in pr.: L. ult. in pr. infr.: L. ult. D. h. t.: L. 6, § 11, D. de injusto: L. 1, § 5, D. de suis: § 5, Inst. de heredit. quae ab intest. — 18. L. 5, § 4, supr. h. t. — 19. L. 7, in fin.: L. ult. § 1, infr. eod. — 20. L. 6, in pr. et fin. supr. eod. — 21. d. L. 6, § 2: L. 1, infr. de questionib. — 22. L. 6, in pr. supr. h. t. — 23. L. 5, § 4, supr. eod. — 24. Vide tamen L. 11, D. de solutionib. L. 46, D. de jure fisci. — 25. L. 6, § 2, supr. h. t. — 26. L. ult. supr. de advoc. fisci.

TIT. IX. — 1. Lib. 48, D. § 4, Inst. de publ. jud. c. — 2. L. 131, D. de verb. signif. — 3. Vide tamen N. 154. — 4. L. 2, § 2, in fin.: L. 19, in pr. D. h. t. — 5. L. 26, D. eod. L. 34, D. de ritu nupt. — 6. L. 12, § 1, D. qui et a quibus manumitt. — 7. L. 6, infr. h. t. — 8. Fac. L. 10, § 1, D. soluto matrim. — 9. L. 24, D. h. t. — 10. L. 151, D. de reg. juris: fac. L. 25, supr. de administ. tut. — 11. L. 4, D. de reg. jur. — 12. L. 35, § 8, D. h. t. — 13. L. 25, infr.: L. 29, § 7, D. eod. — 14. L. 5, supr.: L. 11, § 6: L. 14, § 9, D. eod.: L. 57, § 1, D. de minor. — 15. L. 3, D. de divers. temp. praeser. — 16. L. 15, § 2, D. ad Sc. Turpill. — 17. L. 11, § 7: L. 15, § 5, § 6, et fin. D.: L. 50, versic. extitissis, infr. h. t. — 18. L. 32, in fin. D. eod. — 19. L. 7, in fin. D. h. t. — 20. L. 15, in fin.: L. 39, § 6: L. 32, in fin. D. eod. — 21. L. 50, infr. eod. — 22. L. 19, § 3, D. eod.: L. 57, circa fin. D. de minor. — 23. L. 53, § 1, D. h. t. — 24. L. 18, supr. de transact. — 25. L. 29, § 3, D. h. t.: L. 5, D. de condit. ob turp. L. 57, in fin. D. de minorib.: L. 8, pr. D. quod met. causa. — 26. L. 11, § 10: L. 26, D. h. t. Auth. prov. infr.

culis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem feminis privilegium detulit. — P. P. 13 kal. Aug. LATERANO ET RUFINO CONSS. 198.

2. Idem, AA. Cyro.

Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt, non qui suspectam adulteram habuerunt. — P. P. kal. Jul. ANULINO ET FRONTONE CONSS. 200.

3. Imp. ANTONINUS A. Juliano.

Non solum [verba] legis Juliae de adulteris coercendis, sed etiam sententia, per quaestionem quoque servorum, sive ancillarum crimen admissum probare volentis, ad earum tantum personarum servos ei rei exhibendos pertinet, de quibus specialiter comprehendit, id est, mulieris, et patris ejus, non naturalis, sed justi duntaxat, quos intra sexagesimum diem ex dissolutione matrimonii numerandum, manumitti, vel distrahi prohibet, quorum dominis cavere praecipit, si defuncti fuerint in quaestione, vel facti deteriores, secuta absolutione. — P. P. 15 kal. Aug. ANTONINO A. 4 ET BALBINO CONSS. 214.

4. Imp. ALEXAND. A. Juliano procons. Narbon. provinciae.

Gracchus, quem Numerius in adulterio noctu deprehensum interfecit, si ejus conditionis fuit, ut per legem Juliam impune occidi potuerit: quod legitime factum est, nullam poenam meretur. Idemque filius ejus, qui patri pariter, prestandum est. Sed si legis auctoritate cessante inconsulto dolore adulterum interemit, quamvis homicidium perpetratum sit, tamen quia, et nox, et dolor justus factum ejus relevant, potest in exilium dari. — P. P. sine die et consule.

5. Idem, A. Vadanti.

Adulter post quinquennium quam commissum adulterium dicitur, (quod continuum numeratur) accusari non potest: easque praescriptiones legibus reo datas auferri non oportet. — P. P. id. Jun. MAXIMO 2 ET AELIANO CONSS. 224.

6. Idem, A. Sebastiano.

Jure mariti adulterii accusare volenti, sexaginta dies utiles computantur: quibus in publico ejus facultas fuerit, apud quem reus, vel rea postulari potest. Et cum praeterierint dies isti utiles, maritus quoque jure extranei agere potest. Et qui confidit accusationi, calumnie notam timere non debet: nam ad probationem sceleris divi parentes mei quaestionem de mancipiis eodem modo haberi permiserunt, quasi jure mariti ageretur. — P. P. 2 id. Aug. MAXIMO 2 ET AELIANO CONSS. 224.

7. Idem, A. Heruclano.

Propter violatam virginem adultam, qui postea maritus esse coepit, accusator justus non est, et ideo jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata sponsa ejus fuerat. Sed si ipsa injurias suas adistentibus curatoribus, per quos etiam negotia ejus gerenda sunt, prosequatur, preses provinciae pro debita tanto delicto, si probetur, severitate examinabit. — P. P. 12 kal. Jun. MAXIMO 2 ET AELIANO CONSS. 224.

8. Idem, A. Domino.

Reos adulterii duos simul matrem et feminam ex eadem causa fieri, lex Julia de pudicitia vetat, sed ordine peragi utrosque licet. — P. P. id. Jun. JULIANO 2 ET CRISPINO CONSS. 225.

9. Idem, A. Proculo.

Castitati temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatum in penis legitimis perseverare. Qui autem adulterii damnatum, si quocumque modo poenam capitalem evaserit, sciens duxerit uxorem [vel reduxerit] eadem lege ex causa lenocinii punietur. — P. P. 7 kal. febr. JULIANO 2 ET CRISPINO CONSS. 225.

10. Idem, A. Demetrianio.

De crimine adulterii pacisci non licet, et par delictum est accusatoris praevicatoris, et defugientis veritatis inquisitionem. Qui autem pretium pro comperto stupro accepit, poena legis Juliae de adulteris tenetur. — P. P. 5 non. Maji, FUSCO ET DEXTRO CONSS. 226.

11. Idem, A. Narvano.

Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non

1, D. soluto matrim. — 9. L. 24, D. h. t. — 10. L. 151, D. de reg. juris: fac. L. 25, supr. de administ. tut. — 11. L. 4, D. de reg. jur. — 12. L. 35, § 8, D. h. t. — 13. L. 25, infr.: L. 29, § 7, D. eod. — 14. L. 5, supr.: L. 11, § 6: L. 14, § 9, D. eod.: L. 57, § 1, D. de minor. — 15. L. 3, D. de divers. temp. praeser. — 16. L. 15, § 2, D. ad Sc. Turpill. — 17. L. 11, § 7: L. 15, § 5, § 6, et fin. D.: L. 50, versic. extitissis, infr. h. t. — 18. L. 32, in fin. D. eod. — 19. L. 7, in fin. D. h. t. — 20. L. 15, in fin.: L. 39, § 6: L. 32, in fin. D. eod. — 21. L. 50, infr. eod. — 22. L. 19, § 3, D. eod.: L. 57, circa fin. D. de minor. — 23. L. 53, § 1, D. h. t. — 24. L. 18, supr. de transact. — 25. L. 29, § 3, D. h. t.: L. 5, D. de condit. ob turp. L. 57, in fin. D. de minorib.: L. 8, pr. D. quod met. causa. — 26. L. 11, § 10: L. 26, D. h. t. Auth. prov. infr.

posse, nemini dubium est. — P. P. kal. sept. ALEXAND. 2 ET MARCELLO CONSS. 227.

In AUTHENT. ut lic. matri et aviae, § Quia vero plurimas, col. 8, tit. ult., Novell. 117, cap. 8.

Sed novo jure potest: et si accusatio vera esse ostendatur, tunc reudium mittere debet, et in scriptis eam accusare debet. Si vero illam adulterii accusationem maritus non probaverit, illis subjiçietur supplicii, quae esset passura mulier, si accusatio comprobata fuisset.

12. Idem, A. Basso.

Etsi crimine adulterii damnatus restitutus non esset, ut proponis, si tamen soror tua, cum qua adulterium commissum dicebatur, non est accusata: nec poena nec infamiae subjiçti potuit, et multo magis cum et accusatorem vita esse functum proponas. — P. P. kal. Jun. SABINO 2 ET VESTUTO CONSS. 241.

13. Idem, A. Sylvano.

Adulteram, si posteaquam crimen contra eam inchoatum est, provinciam excesserit, etiam absentem inter reos recipi posse, explorati juris est. — P. P. non. Mart. ATTICO ET PRÆTEXTATO CONSS. 245.

14. Imp. GORDIAN. A. Aquilia.

Si dum in tuo matrimonio uxor tua esset, se adulterio polluit, in ea provincia, in qua id [sipsum] factum est adulterium, more solito persequi debes. Nec enim ab ea, quae jam nupta [et] adulterium passa est, exordium accusationis sumi potest, si denunciatu criminis nuptias non praecessit. — P. P. non. decembr. GORDIANO A. ET AVIOLA CONSS. 240.

15. Idem, A. Hilarino militi.

Si quondam uxor tua, antequam crimine adulterii accusaretur, provinciam excesserit, neque absens accusari potest, neque in eam provinciam, in qua stipendium facis, transmitti jure deponitur. Sane cum per occupationem militarem non liceret accusare eam, solenniter poteris. Nec enim tempus, quo muneribus militaribus occuparis, vindictam tibi, quam maritali dolore percussus deponis, debet auferre. — P. P. 4 id. Mart. ATTICO ET PRÆTEXTATO CONSS. 245.

In AUTHENT. ut nulli, § Si vero quis, col. 9, tit. 17, al. 1, Nov. 134, cap. 8.

Si vero criminis commissi occasione latuerit, aut provinciam illam reliquerit, in qua deliquit, jubemus legitimis edictis a iudice vocari eum, et si non audiat, illa in eum procedere, quae nostris legibus sunt definita. Si vero cognoscatur, quod in alia provincia degat, jubemus provinciae illius iudicem, in qua crimen commissum est, epistola publica uti ad provinciam illius iudicem, in qua delinquens degit. Ille vero, qui publicas susceperit literas, periculo suo, et officii sui comprehendit eum, et ad iudicem provinciae transmittit, in qua peccavit, supplicii legitimum subiendum. Si vero, qui publicam epistolam susceperit, hoc facere, aut officium ejus imperata neglexerit, tunc et ipsum iudicem tres libras auri, et officium ejus alias tres pro poena inferre volumus. Sin autem iudex, aut aliquis officialium suorum propter lucrum eum non comprehenderit, aut comprehendens non transmiserit, qui hoc fecisse convincatur, spoliatur cingulo, et exilio tradatur.

16. Imp. VALERIANUS ET GALLIENUS AA. Archesilao.

Abolitionem adulterii criminis postulans, praesidem, in cujus officio accusatio fuerit instituta, adire debes. Ceterum erras tu marite existimans etiam simpliciter, id est, sine abolitione destitisses, senatusconsulto in persona tua futurum locum non fuisse: diversum enim divi principes saepe sanxerunt. Quia hoc amplius scias, nullam fuisse tibi ulterius potestatem instituendi accusationes: quia et decreto patrum, [et] lege Petronia ei, qui jure viri delatum adulterium non peregit, nunquam postea hoc crimen deferre permittitur. — P. P. 15 kal. Jun. MAXIMO ET GALABRIONE CONSS. 257.

17. Idem, AA. Victorino.

Sine metu legis Juliae de adulteris coercendis revocare uxorem in matrimonium potes: cum nihil amplius, quam libellos accusationis obtulisti: quia postea comperisse te affirmas, quod vana indignatione ad accusationem incitatus fueris. Is enim committit in penam quam lex certo capite denunciat, qui vel publice adulterio damnatum habet: vel adulteram sciens, ut ignorantium simulare non possit, retinet uxorem. — P. P. 6 kal. Aug. IPSIS AA. 4 ET 3 CONSS. 258.

27. L. 17, § 6, D. h. t. — 28. L. 15, infr. eod. — 29. L. 11, § 2, D. eod. — 30. L. 1, supr. ult. de crimin. : vide L. 15, infr. h. t. — 31. Immo vide L. 5, D. eod. — 32. L. 16, et L. 17, in princ., et § 6, D. eod. — 33. L. 13, supr. eod. — 34. L. 6, supr. de accusat. — 35. L. 14, supr. h. t. — 36. L. 21, infr. eod. — 37. L. 2, infr. de abolition. — 38. L. 2, § 1, D. h. t. — 39. L. 14, in fin. D. eod.: L. 3, in fin. D. de praevicator. — 40. L. 5, D. ad Sc. Turpill. — 41. L. 11, in fin. D. h. t.: L. 26, D. de ritu nupt. — 42. L. 2, supr. de incestis;

18. Idem, AA. et VALERIANUS C. Theodore.

Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia. In ea namque re non juris effectus, quo cives nostri matrimonia contrahere plura prohibentur, sed animi destinatio cogitatur. Verumtamen ei, qui te ficto cecelibat, cum aliam matremfamilias in provincia reliquisset, sollicitavit ad nuptias: etiam crimen stupri, a quo tu remota es, quod uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo solenniter inferetur. Ceterum res tuas omnes, quas ab eo interceptas matrimonii simulatione deploras, restitui tibi omni exactionis instantia impetrabis a rectore provinciae: nam ea quidem, quae se tibi, ut sponsa daturum promisit, quomodo repetere cum effectu potes, quasi sponsa? — Accepta id. Majis Antiochiae, Tusco et Basso CONSS. 259.

19. Imp. DICLET. ET MAXIM. AA. ad Pompeianum.

Quamvis indubitati juris sit, quotiens adulterii crimen intenditur, praesentiam accusatoris praecedere oportere: tamen quoniam ex literis tuis cognovimus Materiam Propositu viatoris uxorem, habitis quaestionibus, cum Juliano quodam adulterium commisisset, detectam sub ipsa prolatione sententiae, viatoris ipsius praesentiam postulas, non putavimus confecto pene iudicio, facinore etiam agitata quaestione convicto, Propositum ab excubiis limitis revocandum. — Dat. S. non. decembr. AA. CONSS.

20. Idem, AA. et CC. Didymo.

Fœdissimam earum nequitiam, quae pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, non etiam earum, quae per vim stupro compressae sunt, irreprehensa voluntate, leges ulciscuntur: quin etiam involatae existimationis esse, nec nuptias earum aliis interdici, merito placuit. — P. P. 5 non. octobr. IPSIS 4 ET 5 AA. CONSS. 290.

21. Idem, AA. et CC. Silano.

Ob commissa adulteria, atque accusandas uxores, certa tempora, quae utiliter computari solent, praescripta sunt. Si igitur per occupationes publicas accusationem instituire non potuisti, nec ante creditum tibi munus praescripta tempora transacta sunt: post depositam sollicitudinem, qua detineris, integram accusandi potestatem habebis: ad quam cum vacare coeperis, proparare debebis: nec effrenata licentia ad terendam adversariam futurae accusationis speciem praetendas. — P. P. 14 kal. nov. IPSIS 4 ET 3 AA. CONSS. 290.

22. Idem, AA. et CC. Oblimio.

Si ea, quae stupro tibi cognita est, et passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more vulgo se praebuit: adulterii crimen in ea cessat. — P. P. 12 kal. novembr. IPSIS 4 ET 5 AA. CONSS. 290.

23. Idem, AA. et CC. Proculo.

Servi ob violatum contubernium [suum] adulterii crimine accusari non possunt. — § 1. Is autem, qui post dissociatum matrimonium uxorem licito jure duxit, obque intentatae accusationis, ac potentis patrocini metum, ei, qui accusationem instituerat, aurum et argentum dedit, ad recipiendum id, ulciscendamque turpis lucri cupiditatem, adire praesidem potest, qui examinatis [partium] allegationibus, et inquisita fide veri, siquidem id ab eo, qui innocens est, ob illati criminis timorem datum esse cognoverit: quemadmodum sententiam formare debeat, ex evidentibus juris placitis instruetur. Sin vero constiterit corrupti matrimonii velut mercedem ad captandam impunitatem solutam [pecuniam] esse: eum, qui etiam adversus senatusconsulti censuram cum fœdissimo flagitio accepit, puniri iubebit. — P. P. kal. novembr. IPSIS 4 ET 5 AA. CONSS. 290.

24. Idem, AA. et CC. Dionysio.

Si ejus, a quo nunc adulterii rea postularis, contra juris formam contubernio haesisti, innumeris auctoritatibus te tueri potes.

25. Idem, AA. et CC. Sossiano.

Etsi libidine intemperatae cupiditatis ex actorum lectione exarsisse te cognitum est: tamen cum ancillas compressis, et non liberis stuprasse detectum sit, ex hujusmodi sententia gravatam potius opinionem, quam infamia afflictam esse manifestum est. — P. P. 5 id. Mart. TIBERIANO ET DIONE CONSS. 291.

26. Idem, AA. et CC. Crispino.

Quoniam Alexandrum qui in crimen vocatur, etiam praescriptionem esse pollicitum eo nomine, quod accusator uxorem post deprehensum adulterium penes se habuisse videatur, et de statu suo agere nunc velle

L. 1, in fin. D. de his qui notant: § 6, 7, Inst. de nuptis: L. 7, supr. de Judaeis. — 43. L. pen. D. de concub. — 44. L. 5, supr. de donat. ante nupt. — 45. L. 52, § pen. D. de donat. inter vir. — 46. L. ult. supr. de accus. — 47. L. 15, § 7: L. 59, D. h. t. — 48. L. 6, L. 15, in fin. supr.: L. 11, § 5, D. eod. — 49. L. 29, in fin. infr.: L. 15, § 2, D. eod. — 50. L. 24, infr. eod.: L. 6, D. eod.: vide L. 13, § 1, D. eod. — 51. L. 25, supr. eod. — 52. L. 29, in fin. infr.: L. 6, D. eod.: L. 25, D. de injur.